

fica: proximum vero est natura inæquate per modum determinantis cocepta. Hæc est Doct. in 1. distinct. 8. quæst. 3. & colligitur ex littera huius quæstionis in solutione ad primum, & ex quæst. 8. de genere, & patet ex not. primo: dum modo advertatur, partes illas phisicas non sumi per modum partis sed per modum totius: ut supra diximus de partibus Metaphisicis.

Nota.

2. Conclu.

Dicendum secundo, in naturis pure Metaphisicis tantum datur fundamentum proximum generis, & differentie, quod est natura ipsa per modum contrahibilis, & per modum contrahentis, seu habentis determinatum gradum in entibus: hæc est etiam communis cum Doctore, ut supra patet ex prædictis; dummodo, si cut & præcedens, intelligatur.

Ad arg.

Ad argumentum patet ex notabili secundo: in compositis enim spiritualibus genus sumitur à gradu contrahibili, & differentia à gradu contrahente, qui materia, & forma, late dicuntur.

ARTIC. IIII.

Angenis, & differentia, dicant distinctas realitates ex natura rei unum per se reale Metaphisice componentese

Processus Metaphisicus Doctoris in hac quæstione nos Metaphisice procedere, logicæque metas transilire facit, præsentemque difficultatem inter omnes difficilissimam disputare: circa quæ est prima sententia inter Reales tenens gradus generis, & differentie, inter se realiter distinguit hanc significat landunus 2. Metaph. q. 9. & eam tenere debent omnes, qui existimant, hos gradus desumi ex formis realiter distinctis: ita ut gradus corporis dicat tantum compositum ex materia, & forma corporeitatis: gradus viventis dicat compositum ex corpore, & anima vegetativa: gradus animalis dicat ex corpore, & anima sensitiva, compositum: & homo addat compositum ex omnibus prædictis, & ex anima rationali: itaque fundamentum huius opinionis est distinctio realis plurium formarum, quas in qualibet natura corporea esse affirmat.

1. Sententia.

2. Sententia.

Secunda sententia asserit hos gradus ratione distingui, sumto aliquo fundamento ex rebus ipsis: non tamen esse aliquam veram, & actualem distinctionem ex natura rei, aut realem, inter huiusmodi gradus, prout à parte rei coniuncti existunt. Ita D. Thomas 1. p. quæst. 50. art. 4. ad 1. quæst. 76. art. 3. ad quartum: de ente & essentia cap. 4. & 7. Metaph. lect. 4. & alibi sæpe: eamque tenent communiter Thomistæ, quos citant, & sequuntur Suarez 1. tom. Metaph. disput. 6. sect. 9. Rubius, & Murcia in Logica, & Pater Sanchez cap. de genere quæst. 8. & Pater Gallego controu. r. 16. qui probatur primo per locum ab inconuenienti: Tum: quia ex opposita sententia sequitur in homine esse plures

3. Arg.

animas, seu formas substantiales: nam ubi datur effectus distincti, necessario danda sunt eadem distincte: sed esse viuens, sensibile, & rationale, si distinguuntur ex natura rei, sunt effectus distincti: ergo & causæ erunt distinctæ. Tum: quia sequeretur animal non prædicari de homine: nam cum distinguatur à rationali, non est totum; ac per consequens est pars, quæ non prædicatur de toto. Tum: quia aliter totum compositum esset ens per accidens: quia rationale aduenit enti in actu, unum per accidens componit. Tum: quia tale compositum heret per aliquam actionem realem: quod implicat: cum in homine sit tantum vnica actio, qua generatur, quæ cum anima rationali solum identificatur, & non cum rationali, ut sic. Tandem: quia sequeretur animam rationalem, Angelos, & accidentia esse composita ex duabus realitatibus: quod plane est falsum. Ita Sanchez: & alia inconuenientia adducit, quæ minoris momenti sunt, omiffa facimus.

Secundum.

Secundo, (relictis tribus argumentis, quæ conficit Suarez: quia ex dictis q. 4. per quatuor priores Articulos, facillime soluantur) sic in fauorem huius sententiæ argumentor: animalitas hominis, & animalitas Equi, (circumscripto omni alio ab ipsis ex natura rei diuerso) aut differunt specie: aut non: si sic: cum animalitas dicat naturam generis: per eandem realitatem, per quam aliquid est in genere, est distinctum ab opposita specie: ac per consequens gradus generis, & differentie, non dicunt diuersas realitates. Si autem non differunt specie: sequitur, quod illæ animalitates dicent vnã speciem specialissimam: ac per consequens, quod talis conuenientia non erit conuenientia in genere: quod falsum est: ergo dicendum est, quod per eandem realitatem, per quam aliquid est in genere, sit distinctum ab opposita specie: quod est propositum.

Tertium.

Tertio arguit Aureolus noster hanc eandem sententiam defendens: si realitas generis est potentialis ad realitatem differentie: aut ista realitas est in potentia secundum rem, aut non: si sic: tunc arguo: omnis realitas, quæ est realiter in potentia ad actus oppositos, & impossibiles, est transmutabilis realiter ad illos: sed animalitas per se est realiter in potentia ad rationalitatem, & irrationalitatem: & è conuerso: ergo realiter erit transmutabilis ad ea: quod est falsum. Si non: ergo illud esse in potentia, quod competit generi, respectu differentie, est esse in potentia secundum rationem: ergo non differat à differentia, nisi secundum rationem tantum.

Quartum.

Quarto, ex pluribus realitatibus ex natura rei, non fit vnus, nisi per compositionem: quia omnis vnitas, vel est compositionis, vel simplicitatis: sed vnitas simplicitatis excludit omnem pluralitatem diuersarum rerum: ergo omnis vnitas cuiuscunque constituitur ex pluribus realitatibus realiter distinctis, est composita: ergo si genus generalissimum, & omnes differentie acceptæ ab eo, vsque ad indiuiduum, dicant diuersas realitates realiter distinctas: tunc omne indiuiduum cuiuscunque generis, (etiam si diceret solam formam) erit compositum ex tot realitatibus distinctis

Etis ex natura rei, quot sunt genus generalissimum, & omnes differentie intermediæ: quod est absurdum.

3. Sententia Doctoris.

Tertia sententia est Doct. in 1. dist. 8. q. 3. & lib. 7. Metaph. q. 19. & in 2. dist. 3. q. 6. in 1. Reportationum dist. 8. q. 4. & omnium suorum ibidem, quos sequuntur Ferrara 1. contra gent. cap. 24. & 42. Fonseca 2. Metaph. cap. 2. tex. 11. quæ asserit gradus generis, & differentie: esse realitates ex natura rei distinctas, ex quibus species realiter Metaphisice componitur: pro quo notandum.

1. Not.

Primo, quod compositio idem est, ac cum alio positio: nam ubi talis datur, omnis simplicitas excluditur: ens enim compositum opponitur enti simplici: sicut vnus multis, & idem diuersis: quare compositio sic notificari potest: est distinctio vnio, quorum alterum est potentia, vel actus, perfectibile, vel perfectiens, respectu alterius: & ratio est, quia cum compositio necessario debeat fieri ex partibus distinctis realiter, vel formaliter, vel ratione: quia nihil seipsum componere potest: non sufficit ad compositionem quæcumque partium distinctio: sed tantum illa, quæ sumam, & perfectam identitatem rem excludit: nam attributa, & relationes diuina, ex natura rei ab essentia distinguuntur: & tamen quia propter infinitatem imperfectam identitatem trahunt, & sint in vltima actualitate: ita ut vnus non possit esse respectu alterius, actus, vel potentia: idcirco nullam compositionem faciunt: nam requiritur, vt aliqua distincta componant tertium, quod alterum illorum sit actus, vel potentia, respectu alterius: sicut in infinitatione compositionis dicitur.

2. Not.

Secundo notandum: quod compositio est duplex: altera realis, altera rationis: compositio realis adhuc duplex: altera per se: altera per accidens: per se rursus duplex: alia essentialis, alia integralis, quæ datur inter partes quantitatis: essentialis, alia phisica, quæ est vnio materiae, & formæ: alia Metaphisica, quæ ex actu & potentia, seu ex genere, & differentia pro fundamentis constat: ad quam reducuntur compositiones ex esse, & essentia: ex natura, & supposito: & ex re, & suo modo. Compositio per accidens adhuc est duplex, vt patet per Doct. in 4. dist. 1. q. 2. alia, quæ est vnio diuersorum eiusdem generis, & dicitur proprie aggregatio: vt cumulus: alia, quæ datur inter res diuersi generis, quæ non sunt aptæ vnũ componere: vt homo albus. Compositio rationalis est vnio aliquorum distinctorum tantum per intellectum: & est duplex: alia proprie Logica: vt genus est vniuersale: alia ex positio, & priuatione formaliter sumpta pro carentia debite perfectionis, de qua Doct. in 1. distinct. 8. quæst. 1.

3. Not.

Tertio notandum ex Doct. in 1. distinct. 8. quæst. 3. lit. 1. quod in aliquibus creaturis, genus, & differentie accipiuntur ab alia, & alia res: sicut ponendo plures formas in homine, v.g. animal accipitur à forma sensitiva: & rationale ab intellectu: & tunc illa res, à qua accipitur genus, vere est potentialis, & perfectibilis ab illa re, à qua accipitur differentia: aliquando non sunt

res, & res: sicut in accidentibus, & compositis mere Metaphisicis: sed tunc in talibus est aliqua prima realitas, à qua sumitur genus, & alia, à qua sumitur differentia: & prima realitas, præcise intellecta, præsupponitur secundæ, præsuppositione naturæ: & est quid potèntiale ad ipsam, & perfectibile per illam: ac si esset res alia: sed quod non perficitur realiter per eam, est propter identitatem vtriusque ad tertium, cui realiter primo sunt eadè: quod quidè tertium, seu totum, primo producitur, & in isto ambæ realitates producuntur. Si tamen altera illarum sine alia produceretur, vere esset potentialis ad eam, & vere sine ea imperfecta: vt in albedine constat: habet enim gradum coloris, & talis coloris: sed licet vterque gradus producatur ad productionem totius albedinis, cui realiter, & etiam inter se, ratione illius, sunt idè: nihilominus præ intelligitur gradus coloris, ad gradum talis coloris, seu differentie, per quæ color ad esse albedinis contrahitur: & talis gradus coloris est potentialis, à quo sumitur ratio generis: & alter gradus est determinans, & in quo ratio differentie fundatur.

Conclusio.

Dicendum primo, genus, & differentia, pro fundamento, essentialiter speciem constituunt. Hæc est communis: & probatur primo: quidquid est principium cognoscendi speciem essentialiter, est illius principium essentialiter componens: sed genus, & differentia, sunt principia essentialia cognoscendi speciem: ergo illa essentialiter componunt. Maior patet: nam cognoscibilitas fundatur in entitate: ergo tradens cognitionem essentialiter entitatis ingreditur essentialiter compositionem illius: aliter non esset essentialiter principium cognoscendi: minor probatur: distinctio facit scire distinctum: sed genus, & differentia, sunt essentialiter partes distinctiois: ergo faciunt scire distinctum, quod est species: nam hæc sola distinctum.

Conclusio.

Secundo, illud componit aliud essentialiter, sine quo illud aliud intelligi nequit: sed species nequit intelligi, sine genere, & differentia: ergo hæc illam essentialiter componunt. Dicendum secundo, omnis species creata fundamentaliter sumpta, secluso quocumque actu intellectus, est composita essentialiter Metaphisice ex duplici realitate generis, & differentie: quæ realitates ab ipsa specie, & inter se, formaliter positite distinguuntur. Hæc est Doct. & suorum locis citatis: & probatur.

Primo, homo, vt ex animalitate, & rationalitate, constat à parte rei, vel est vnus simplex realiter, & formaliter: vel est compositum: si hoc secundum habetur intentum: quia implicat compositum reale non habere partes reales componentes: si primum: quia non datur in eodè: cum simplex, & compositum, diuidant ens: inquirere: vel est sume simplex: & tunc esset Deus: quia sume simplex est, quod nec est compositum: nec alteri componibile: vel est simpliciter simplex, id est non resolvable in conceptum quidditatum, & qualitatum: & hoc non: tunc quia Deus hoc modo non est simpliciter simplex: vt probat Doct. in 1. ac per consequens homo potiori iure debet esse resolvable: illi: tunc etiam, quia tunc ens, & differentia vltima, sunt

hoc modo irresolubilia; ac simpliciter simplici-
cia. Vel homo est simplex, idest, non composi-
tus ex re, & re: & hoc nos etiam fatemur: vel tan-
dem est simplex, vt simplex composito mixto
opponitur: vt sunt cælum, & elementa: & hoc
etiam non: cum tale simplex ex materia, & for-
ma componatur: igitur cum non fiat alij modi
simplicitatis, necessario fatendum est, esse ex du-
plici realitate compositum.

Secundo: definitio est oratio verum esse rei
significans: sed definitio datur de specie illam
in genus, & differentiam resoluens: ergo in re
species est composita, quæ per partes definitio-
nis resoluitur. Maior, cum consequentia, patet:
minor ostenditur, & explicatur: nam definitio,
licet secunde intentionaliter sumpta à definito tan-
tù ratione distinguatur, & idè dico de eius par-
tibus inter se tamè prime intentionaliter accep-
ta differre à definito ex natura rei: vt tenet Do-
ctor in 1. dist. 2. q. 2. lit. A. de quo Leuchetus
dist. 8. quæst. 3. ratio est: quia illa distingu-
tur ex natura rei, inter quæ duo contradictoria
verificari possunt: sed inter definitum, & partes
definitionis, à parte rei duo contradictoria ve-
rificantur: ergo. Probo minorem: esse constitu-
ens, & non constituens à parte rei: constitu-
tum, & non constitutum, contradicunt: sed ge-
nus, & differentia à parte rei, sunt constituen-
tia, & non constituta: & species à parte rei est
constituta, & non est constituens: ergo de illis à
parte rei duo contradictoria verificantur: ac per
consequens distinguuntur ex natura rei forma-
liter: ac per consequens genus, & differentia,
sunt duæ realitates inter se ex natura rei distin-
ctæ: quia talis est distinctio partium inter se, qua
lis est inter ipsas, & totum.

Respondet aduersarij: quod sufficit compo-
sio in conceptibus: ita vt intellectus, à conue-
nientia in re desumpta, formet conceptum com-
munem potentialem, & generis: & ab ipsa re
formet alterum, vt determinantem, qui fit differe-
rentia conceptus.

Contra: obijcio cum Doctore 7. Metaph.
vt supra: concipiendo genus, v. g. aut concipi-
tur aliquid in re in specie: aut nihil: similiter de
differentia: si nihil; isti conceptus formales
erunt fictij, & non reales: si aliquid: aut aliquid
idem: & tunc erit idem conceptus gradus ge-
nerici, & differentialis: & esset superfluum mul-
tiplicare conceptus circa illam rem: aut aliquid
aliud: & tunc erit in re aliqua differentia (suple
inter conceptus obiectiuos) prior differentia
conceptuum (suple formalium) ratio est quia di-
stinctio conceptuum formalium præsupponit
distinctionem conceptuum obiectiuorum; ne
ipsorum distinctio sit fictitia: vt diximus.

Dices; vt communiter Thomistæ responde-
re solent: quod tales conceptus obiectiuus præsup-
ponitur fundamentaliter: non vero actualiter
distincti.

Contra: hæc distinctio fundamentalis, secu-
dum Thomistas, nihil aliud est, quam quod isti
gradus habeant fundamentum: vt possint præ-
cise intelligi vnus extra rationem formalem alte-
rius: ergo in re sic se habent: realiter enim non pos-

set vnus gradus, sine alio, intelligi: sicut nec ali-
quid, sine eo, quod est intrinsecu sibi. Maxime,
quia gradus animalis in re habet, vt per modum
potentiæ contrahibilis concipi possit, quod gra-
dus differentiali non conuenit: sed potius ad op-
positum, vt scilicet, per modum actus perfectien-
tis concipiatur: ergo actu aliquid in vno reperit-
tur, quod non in alio.

Tertio, impossibile est idem ex natura rei res-
pectu eorundem esse præcisam rationem conue-
nientiam, & differentiam realem: sed rationale est ra-
tio differentiam, & non conuenientiam realem dua-
rum specierum eiusdem generis: & animal est ra-
tio conuenientiam realem illarum, & non differen-
tiam: ergo à parte rei animalitas, & rationalitas,
non sunt eadem realitas: sed diuersa.

Quarto, quæcumque sunt eadem realitas for-
maliter: quidquid repugnat vni realiter, repug-
nat alteri realiter: sed aliquid repugnat realiter
animali, quod non repugnat realiter rationali:
scilicet, facere differre, & esse susceptiuum disci-
plinæ, è contra vero aliquid conuenit animali
realiter, quod non conuenit rationali: videlicet
esse in Leone, quod rationali repugnat: igitur à
parte rei animalitas non est rationalitas. Minor,
& consequentia, patent: maior constat per locum co-
tradictionis: oppositum enim est implicatoriu.

Quinto, si animal, & rationale, essent omni-
no idem à parte rei, posset homo per alterum tam-
tum adæquate definiti: consequens est impossi-
bile: igitur. Sequella probatur: vnique obiecto
natus est correspondere conceptus vnus,
quo adæquate, & distincte, possit ipsum obiectum
cognosci, quod in se est vnum, & indistinctum:
igitur, si omnino idem corresponderet à parte rei
conceptui animalis, & rationalis: tunc per con-
ceptui animalis, vel rationalis, posset homo adæ-
quate, & distincte, cognosci: & alter conceptus
superflueret.

Sexto, homo à parte rei est verus ens per se cõ-
stans ex per se actu, & ex per se potentia: sed implicat
eide realitati formali esse per se actu, & per
se potentia: ergo animalitas, quæ est per se poten-
tia, & rationalitas, quæ est per se actus non sunt
idè formaliter à parte rei: probo minore: nã per
se actus, & per se potentia, opponuntur: ergo non
possunt eide realitati sub eadè ratione conuenire: er-
go sub diuersa: ergo ex natura rei distinguuntur.

Vltimo, Sensibile per se, & intellectu per se,
formaliter opponuntur: sed homo à parte rei, vt
animal, est sensibile per se, & vt rationalis est in-
tellectiuus per se: ergo eum ex duplici ratione fun-
datiua procedant, necessario debent à parte rei
distingui.

Respondet Suarez (& solutio est sub secudu ar-
gumetu) negado sensibile, & intellectu, in ho-
mine sumi à diuersis principijs, sed ab eodè, scilicet,
ab anima rationali, quæ eum sit tantu vnica in
homine, suples vices vegetatiuæ, & sensitiuæ: &
cũ gradus vegetatiuæ, & sensitiuæ, non distin-
guantur ex natura rei in ipsa: ideo nec sensibile,
& intellectu, ex natura rei in homine distin-
guentur: aliter enim, etiam virtus producendi
varios effectus in sole ex natura rei distingue-
tur: quod est plane inintelligibile.

Sed

Nota.

Sed hæc solutio non euacuat difficultatem
argumenti, nec contra nos vigorem habet; fate-
mur enim sensibile, & intellectiuum in homine,
sumi ab eadem anima rationali realiter, non ve-
ro sub eadem formalitate. Pro quo notandum:
quod sicut anima vegetatiua, & sensitiua, si rea-
liter distinguerentur, haberent duos; & tribuere
esse vegetatiuum, & sensitiuum, tanquam causas
formales: & tribuere vegetare, & sentire, tanquã
causas efficientes: inde fit; vt anima rationalis
eas continens virtualiter, & tribuat esse vegeta-
tiuum, & sensitiuum, tanquam causa formalis: &
vegetare, & sentire, tanquam causa efficiens (v-
nam enim formam aliam virtualiter continere);
vt notauit Tatarus in secundo de anima folio
96. non est aliud, quam illam formam principia-
re omnes effectus, & operationes, quas potest
alia forma principiare) diuersimode tamè: nam,
vt conuenit tanquam causa formalis, quia, sic ip-
sa dat esse vegetatiuum, & sensitiuum, & rationale
formaliter, est formaliter rationalis, vegetatiua,
& sensitiua: quia per eandem omnino formalita-
tem hos tres effectus formales nequaquam tri-
buere potest: vt autem tribuat operari, non est
necesse, vt sit formaliter talis: nam causa efficiens,
vt distinctos effectus producat, non requirit dis-
tinctionem virtutum, sed idem in distinctum po-
test diuersa causare: & per hoc patet ad exemplũ
de sole, qui tantuã concurrat efficienter ad pro-
ducendum calorem: & idè non formaliter, sed
virtualiter, dicitur calidus: quod in anima res-
pectu effectuum formalium vegetatiuæ, & sensiti-
uæ, non accidit: & idè formaliter, secundum
vnam formalitatem, est vegetatiua, & secundum
aliam, sensitiua, ac tandem secundum aliam, ra-
tionalis: sicut de ipsa anima respectu intellectus,
& voluntatis, in secundo dist. 16. Doctor affir-
mat.

Dices: Doctorem in secundo dist. 15. asse-
re animam rationalem continere virtualiter ve-
getatiuam, & sensitiuam: sed continentia vir-
tualis, & continentia formalis, non sunt simul:
ergo dicere; vt nos dicimus; animam esse forma-
liter vegetatiuam, & sensitiuam, contradicit Do-
ctori: imo, & doctrina tradita supra quæst. 3. Pro-
hem. art. 2. not. primo.

Respondeo: continentiam formalem, & vir-
tualem, stare dupliciter: stricte, & large: primo
modo, continentia formalis est, quando conti-
nens habet in se formam, per quam operatur,
vel per quam dat esse formale: & continentia
virtualis in hoc sensu est quando continens po-
test ponere in effectu, & in actu, eundem effectum,
quem causa contenta posset ponere, si ageret;
continentia vero formalis large est quando con-
tinens continet in se formam, per quam opera-
tur, & dat esse nobiliori modo, & perfectiori,
quam operaretur, & daret esse forma illa, cuius
vices gerit: & in hoc sensu continentia formalis,
& virtualis large sumptas, coincidunt: nam con-
tinere virtualiter hoc modo est producere pos-
se effectum, non eundem, sed similem illi, quem
causa in virtute contenta produceret, si ageret:
vnde quia anima rationalis producit effectus
vegetatiuæ, & sensitiuæ, earumque causalitates

in informando supplet: & cum hoc non contineat
ipsas formaliter stricte, hoc est, secundum
suas entitates, prout vegetatiua, & sensitiua sunt
sed perfectiori modo: quia earum formalitates
sunt in ea modo spirituali, sicut & ipsa spiritua-
lis est: idè eas formaliter, & virtualiter, conti-
net: formaliter, quia ipsa vnica, & indiuisibilis, ac
spiritualis, habet vnam formalitatem, qua dat esse
vegetatiuum, aliam, qua dat esse sensitiuum,
& aliam, qua dat esse intellectiuum: & quia hæc
vltima dat esse completum: idè ab hac solum
denominatur: quare hæc non conceditur in Do-
ctoris doctrina: anima est vegetatiua, aut sensiti-
ua: bene tamen ista anima est rationalis. Conti-
net eas etiam virtualiter large: quia producit ef-
fectus similes illis in genere, quos ipsæ produ-
cunt: & de hac continentia virtuali loquitur Do-
ctor: & intelligitur doctrina à nobis supra tradi-
ta: in qua nulla est contradictio.

Ad argumenta & ad primum inconueniens:
nego se, quællant: nam anima rationalis, vt im-
mediate diximus, continet formaliter vnicuque for-
malitates vegetatiuæ, & sensitiuæ: nam licet cor-
pus organicum, quod est subiectum animæ ratio-
nalis, prius fuerit sub diuersis formis: nam prius
fuit sub forma lactis: deinde sub forma sanguinis:
deinde sub forma carnis: deinde sub forma em-
brionis, deinde sub forma organizationis: ac de-
nique sub forma rationali, quæ cū aduenit, forma
illi immediata corrumpitur: sicut accidit alijs for-
mis præcedentibus: nã prima, secunda aduenie-
te, corrumpitur: nihilominus cum anima rationa-
lis det esse secundu exigentiã formatu, quas sup-
pleti hinc est, quod per formalitatem viuens dat
esse viuens: & postea per aliam, dat esse sensibi-
le, à quibus sumitur ratio animalis, & generis: &
cum vltimo det esse rationale, ab illa vt sic fami-
tur ratio differentia: Ad secundum iam supra di-
ctum est, quomodo pars prædicatur de toto: Ad
tertium dico: quod animal habet esse in comple-
tum: & idè, adueniente rationali, constituit v-
num per se. Ad quartum, quod totum Metaphy-
sicum fundatum in compositis Physicis habet esse
per eandem actionem, qua, & compositum
Physicum: partes autem totius mere Metaphy-
sici habent esse per actionem, qua ipsum totum
habet esse: nam tale primo producit, & partes
in illo. Ad quintu patet ex dictis: fatemur enim
Angelos esse realiter Metaphysicè compositos:
vt in secundo sent. dicemus.

Ad primu

Ad secundu

Ad tertiu.

sibi determinat: concedo: si autem intelligas per transmutabile mutationem naturalem: sicut materia mutatur ab una forma in aliam: sic non est transmutabile realiter: quia non est in potentia naturali Physica, sed Metaphysica.

Ad quartum

Ad quartum, concedo totum primum. Difficilium in creaturis: & ad inconueniens. Contra hoc dico: quod est necessarium illud asserere: quia si ordo prædicamentalis est realis: aliàs non pertineret ad Metaphysicum, qui est Artifex realis: oportet dicere, quod species, tot realitates distinctas ex natura rei, includit, quot sunt prædicata realia, quæ de ea prædicantur: unde in homine realitas substantiæ est potentialis respectu realitatis corporeitatis: & vtraque est in potentia ad realitatem sensibilitatis: & omnes tandem sunt in potentia ad rationalitatem: quod non est inconueniens: sed doctrina necessario admitenda.

QVÆST. V.

An illa particula, differentibus specie, sit conuenienter posita in generis diffinitione?

Animal, cū sit genus, de homine, Equo, & Boue, prædicatur: quæ differunt à se inuicem specie, non numero solum. Cap. eod.



VERITUR, de ista secunda particula posita in diffinitione generis: scilicet, differentibus specie: vtrū conuenienter ponatur? Quod non videtur: quia

ponitur ad distinguendum genus à specie: quod non contingit: quia sequitur: differentibus specie: ergo differentibus numero, per Aristotelem quinto Metaphysic. cap. de vno: sed differentibus numero ponitur in diffinitione speciei: an recedens autem non distinguitur à consequente.

Item: ista particula ponitur ad distinguendum genus à Proprio: quod non contingit: ergo frustra ponitur: ergo &c. Minor patet: quia aliqua genera intermedia habent Propria: vt Numerus, figura, Triangulus, &c. aut ergo ista Propria prædicantur de differentibus spe-

cie: & sic sequitur propositum: quia hæc particula tunc conueniret Proprio: aut non: & tunc nõ erunt Propria: quia Proprium cõuertitur cum eo, cuius est Proprium.

Item: si conuenienter ponitur, tunc prædicari de pluribus differentibus specie per se inest diffinito: & si hoc: ergo differentia specie per se subiungitur generi: sed hoc est falsum: ergo & primum antecedens: prima consequentia patet ex ratione primi modi per se. Probatio secundæ, per simile in alijs reatiuis: duplum enim per se refertur ad dimidium: ergo dimidium per se refertur ad duplum.

Idem ostenditur ratione: quia nihil dicitur per se reatiuum nisi ad suum per se correlatiuum: si enim ad correlatiuum per accidens: cum illa contingant esse multa: idem per se diceretur ad multa: quod est inconueniens. Tum propter auctoritatem quinto Metaphysic. vbi Aristotel. illud habet pro inconuenienti in capitulo de relatione. Tum etiam ex ratione reatiui: quia eius esse est habere se ad aliud: ergo habitudo est de essentia reatiui: ad diuersa autem est alia, & alia habitudo: ergo quod per se est ad duo, non est vnum essentialiter. Tum etiam ex proprietate reatiuorum: quia sunt simul natura: ex lib. Prædica. cap. de ad aliquid: si enim, A. per se dicatur ad C. & B. ergo, C. non existente, non erit, A. Et B. potest esse, quantum est ex se, ergo A. erit: ergo simul erit, & non erit. Probatio falsitatis principalis consequentis: quia quæ per se subiungitur generi, sunt tantum intentiones: subiungi enim cum sit intentionale, sicut & prædicari, tantum competit intentionibus per se: sed illæ intentiones tantum differunt per materiam, cui applicantur: igitur tantum numero, & non specie: quia differentia specifica est differentia formalis: vniuersaliter autem differentia accidentium per subiectum est tantum materialis.

Ad oppositum est Porphyrius.

Ad quæstionem dicendum: quod conuenienter ponitur, vt differentia: quia per illam particulam, vniuersale descendit in ipsum diffinitum, tanquam genus per differentiam. Est enim ratio vniuersalis, prædicari de pluribus, quæ per se diui-

Tex. com. 20.

diuiditur in pluribus specie, & numero: & illud ponitur: quia diffinitum est reatiuum per se.

Ad primum argumentum dicitur: quod genus, in quantum genus, non prædicatur de pluribus numero differentibus, nisi per accidens: sicut idem secundum extraneam rationem potest esse genus, & species.

Contra: in quantum aliquid prædicatur de pluribus specie differentibus; prædicatur de pluribus numero differentibus, ergo non extraneæ: antecedens patet: quia ad differre specie, sequitur differre numero: & consequens prædicatur de antecedente cum reduplicatone.

Ideo dici potest: quod diffinitio speciei debet intelligi cum præcisione: scilicet, differentibus tantum numero: & sic non sequitur, ad differre specie, differre numero.

Vel potest dici: quod species prædicatur immediatè de differentibus numero: genus vero non: quia mediante specie.

Ad secundum dico: quod Proprium nullius est, in quantum est genus: sed in quantum est species: & ita conuertitur cum eo, in quantum prædicatur de pluribus numero differentibus. Ratio assumpti est: quia Proprium solum est aliquid, in quantum est aptum natum esse subiectum demonstrationis: & hoc solum est, in quantum est species: quia solum, in quantum est species, diffinitur: cum de subiecto oporteat præsupponere, quid est, & quia est, per Aristot. primo Posteriorum: in quantum autem diffinitur, habet genus & differentiam: & ita est species.

Ad tertium dicitur: quod sic intelligitur illud, de differentibus specie: id est, de speciebus differentibus, quæ tamen non differunt specie: vt ostendit ratio.

Aliter negatur consequentia secundæ: quia ad aliud per se, comparatur in antecedente, & in consequente. Concessatamen consequentia prima, potest concedi vltimum consequens: cum hoc, quod illa, quæ per se subiungitur generi, tantum differant numero: quia differentia specie non differunt specie, sed numero tantum. accipiendo differentia specie in subiecto protuppositis huius, quod est differens specie, quæ sunt dif-

ferentia specie: quia communè in plurali prædicatur de suppositis multis simul: & tunc differentia specie accipitur, vt dicit quid, respectu suppositi: sed illa non sunt differentia specie: pro vt differentia specie dicitur modum: acut genus est genus, vt genus dicit quid, non vt dicit modum: sed est species: sicut differentia, non est differentia, sed species: & multa genera, id est multa supposita generis, non sunt multa genera, id est multa, quibus applicatur genus, & modus: nec est oppositio modi ad quid, nec e contra.

Summa textus.

HVCVSQVE determinauit Doctor de genere, quod est diffinitum, & de eius diffinitione absolute, eam, acclamatione exemplari in fundamentis, explicans: nunc autem ad singulas particulas ipsius diffinitionis explanandas, & examinandas sese conuertit: partes enim, licet ordine naturæ sint priores toto: ordine tamen cognitiuis, & quoad nos, potest esse, e contra: vt primo Physicorum patet: & ideo Doctor prius de tota diffinitione, quam de eius partibus inuestigauit prima igitur pars huius diffinitionis est, ly, differentibus specie, de qua quærit: an sit conuenienter posita: Partem negatiuam probat tribus singularissimis rationibus, quas nos in nostro Articulo formabimus: quibus non obstantibus, vnicam apponit conclusionem dicens:

Conclusio.

Ly, differentibus specie rectè in generis diffinitione collocatur: quam conclusionem probat: tum auctoritate Porphyrii sic genus, iuxta mentem Aristot. in Topicis, & quinto Metaphysic. diffinitis: tum etiam, quia per hæc particulam, vniuersale contrahitur ad esse generis: tum denique quia in illa ponitur, ly, species, quæ est ipsius generis correlatiuum, quæ necessario ad cõpletam generis diffinitionem poni debebat: tandem, solutione argumentorum quæstionem absoluit: quæ, quia difficilis est in aliquibus, ad longum in Articulis examinabitur.

ARTIC. I.

An ly, differentibus specie, conuenienter ponatur in generis diffinitione?

PRO parte negatiua, sic primum argumentum: illa particula inconuenienter ponitur in diffinitione, quæ non distinguit diffinitum ab eo, ad quod vt per ipsam distinguatur, assignatur: sed hæc est huiusmodi: ergo. Probo minorem: non distinguit genus à specie, ad quod assignatur à Porphyrio, &

Argum.